

sed unaquaque pars separatim sub proprio cuiusque titulo evulgabatur, licet quædam inter eas connexio ex eo oriatur quod omnes brevi temporis spatio ab eodem artifice typis excuderentur. Hoc modo Parisiis cura Vitalis de Thebes et Joannis Chapuisii nova harum collectionum editio prodiit, quæ præ cæteris majoris momenti fuit (1). Cum enim hucusque extravagantes tum in codicibus manuscriptis, tum in editionibus typis excusis sine ordine ac mox in majori, mox in minori numero clementinis additæ essent, Chapuisius duas ex illis novas collectio-nes adornavit. In primam viginti Joannis XXII extravagantes, a Zenzelino glossis explicatas, colligit, ac novo ordine in XIV titulos distribuit (2). Aliam ex illis constitutionibus compilavit, quas in diversis editionibus separatim invenerat, ipsi-que ad LXX auctis *extravagantium communium* nomen indidit. In alia editio-ne, quam a. 1503 evulgavit, V alias adjecit, quarem tres jam antea inter Joannis XXII extravagantes ediderat; nunc verò Guilelmi glossis instructas inseruit. Se-undam hanc collectionem, ut antiquiores imitaretur, in libros ac titulos distinxit; quartus tamen liber præter titulum aliud nihil continet. Ex hoc tempore Juris canonici fontes tribus quidem continuis voluminibus, sed nondum communis titulo evulgari solebant, quorum primum decretum, secundum Gregorii IX decretales, tertium librum sextum, clementinas et duas extravagantium collectiones exhibet (3).

LXIV. Editiones criticæ, quas Antonius Desmochares (4) et Ant. Leontius (5) curarunt, novam quasi canonicarum collectionum textus epocham inchoarunt. S. Raymundus siquidem de Pennafort plura in decretalibus quas collegit muta-verat, partemque constitutionum, quæ facti speciem (pars decisa) ac decisionis fundamentum exhibebat, omiserat. Hanc igitur le Contius ex aliis monumentis, quantum fieri potuit, restituit, atque canones decreti omnes, sicuti in decretalium collectione (6) jam antea factum erat, per numeros distinxit. Excitato illis tem-poribus quam maximo in litteris ac artivis colendis ardore, Pius IV et Pius V, Rom. Pontifices, selectis quibusdam cardinalibus ac doctis viris, quos *romanos cor-rectores* vocamus, harum collectionum emendationem commiserunt, quæ demum Gregorio XIII Pontifice, a. 1580, absoluta atque in authentica editione, quæ Ro-mæ una cum glossis a. 1582 excusa est, vulgata fuit (7). Hanc romanam editio-

(1) Decretales, an. 1499, sextus liber, clementinæ et extravagantes, an. 1500, et decretum, an. 1502 edita sunt.

(2) In aliquibus saeculi decimi quinti editionibus inveniuntur quidem viginti extravagantes in 14 titulos distributæ, sed ab his diversæ sunt.

(3) Editiones quæ magno numero ante medium saeculum decimum sextum una cum glos-sis evulgatae sunt, omnes sibi simillimæ sunt. Prodierunt verò plurimæ typis *parisiensibus*, ed. Geriugii et Bertholdi Rembottiti, Thielmanni, Kerveri et Jo. Petit, basileensisibus Joannis Amer-bachii et Petri Frobenii; *lugdunensibus* Fr. Fradini, Hugonis et haeredum Aemonis a Porta. Novæ erant Dumolinii note in editione lugdunensi apud Hug. a Porta a. 1559 in 4 et fol. ad-jectæ. Communis corporis *Juris canonici* titulus in illis editionibus primum adhibitus videtur, quæ post medium saeculum decimum sextum sine glossis excusa sunt.

(4) Prius decretum prodiit Parisiis apud Car. Guillard 1547. 8, dein tres editiones totius cor-poris *Juris* sine glossis, Parisiis apud Car. Guillard, 1550. 1552. IV vol. 8., Lugd apud Gui-Rovillium 1554, VII vol. 12, atque cum glossis, Parisiis ap. Guil. Merlin, 1561, III vol. fol.

(5) Prodiit Antueip. ap. Plantin, 1569-71, IV vol. 8.

(6) In saeculi 15 editionibus decretales nondum per numeros distincti sunt, bene verò in edi-tione Lugdunensi Fr. Fradini, a. 1513.

(7) Apparuit Rome in ædibus populi romani, 1582, III vol. fol. Gregorii XIII bullâ in con-suetis editionibus aut ante, aut post decretum excusa est.

nem cæteras sequuntur, quæ dein apparuerunt (1). Sed cum multa adhuc essent corrigenda, quæ diligentissimam licet romanorum correctorum accurationem effu-gissent, alii dein docti veri, tum in particularibus lucubrationibus ea annotare (2) tum in novis criticis editionibus emendare studuerunt (3). Interim corpori *Juris* duo addimenta adjecta sunt, institutiones nempè Lancellotti (§ LXI) et Petri Mat-thei liber septimus; sed ambo nullam legis auctoritatem habent (4). Mox et di-versi generis indices additi sunt, ex quibus præcipui quatuor in decretum et tres in decretales, Petrum Guenoisium auctorem habent, qui fontes indicat ex quibus singula loca desumpta sunt.

LXV. De auctoritate demum corporis *Juris* sic habendum est. *Decretalium* collec-tiones a Romanis Pontificibus publica auctoritate donatae sunt, legemque cons-tituunt, communi fori usu receptam. *Extravagantium* collections, quæ in corp. *Juris* continentur, licet privato tantummodo studio, non verò publica auctoritate, compilatae sint, ubique tamen fori usu receptæ, et in judiciis adiubitæ sunt; quo fit, ut Pontificum constitutiones, in ipsis contentæ, legum universalium vim, quam ex propria natura habent, ubique sibi vindicent, nisi posteriore aliqua constitutione vel consuetudine legitimè introducta iisdem derogatum fuisse constet. *Decretum* cum pariter privato tantummodo studio adornatum sit, nulla publica gaudet auctoritate, atque omnia quæ in eo referuntur, eamdem vim habent ac si scorsim a collectionibus spectentur. Itaque loca sacrae Scripturæ, decreta Summorum Pon-tificum et generalium conciliorum, quam sua indole et natura ac fori usu (5) vim habent, eamdem in decreto retinent; cetera verò legis auctoritatem, qua per se carent, in decretum translata non consequuntur. Hinc et ea, quæ Gratianus ex SS. patrum scriptis inseruit, aut ex suo addidit, nec non summæ, quæ indicis loco singulis locis tum in decreto a Gratiano, tum in decretalibus a glossarum scripto-ribus præfixæ sunt, nullam prorsus publicam, sed eam tantum auctoritatem ha-bent, quæ ipsorum auctoribus tribui potest. Idem dicendum de titulorum inscrip-tionibus (*rubricis*) quæ in decreto inveniuntur (6); in decretalibus verò, si inte-

(1) Istiusmodi evulgatae sunt: Romæ 1534, IV vol. 4, Venet. 1484, IV vol. 4, Lugdun, 1534, III vol. fol. Paris 1585, III vol. fol., Francof. 1686, IV vol. 8, et multæ aliæ. Editio ultima, glossis instructa, facta est Lugdun. ap. Huguetan. 1671, III vol. fol.

(2) Ant. Augustinus de emendatione Gratiani libri duo Tarragon. 1587, 4. Paris, 1609, 4, cum not. S. Baluzii, Paris, 1672, 8, cum not. G. van. Mastricht. Duish. 1676, 8, edit. I. A. Rieger, Vienne, 1764, 8, ult. ed. in Galland. Dissertat. Syloge ed. Mogunt. tom. II, p. 185-613. Diomedes Brava (Guido Grandi), Disquisit. critic. de interpolat. Gratiani, Bonon. 1694 (in I. H. Boehmer. cor. Jur. canon. tom. I. p. XLII), c. 8. Berhardus Gratiani canones genuini ab apocryphis discretis, corrupti ad emendatorum codicium fidem exacti, difficiliiores comoda interpretatione illustrati Taurin. 1752, IV vol. 4; J. A. Rieger de Gratiani collectione canonum illiusque methodo et mendis (in oblectam. histor. et Juris ecclesiast. Olm. 1776, 8. Jud. le Plat. diss. de spurii in Gratiano canonibus (in Z. B. van Espen comment. in Jus von. can. Bruxell. 1777, II vol. 8; Galland. Syloge, ed. Mogunt. tom. II p. 801-954).

(3) Corpus Juris canon. cum not. Pet. et Fr. Pithocorum, ed. Claudio, le Pelletier, Paris 1697, II vol. fol.; Lips. 1695, 1705. II vol. fol.; August Taurin. 1746, II vol. fol. Corpus Juris canonici Gregorii XIII pont. max. auctoritate post emendationem absolutum editum, rec. J. II Boehmer. Hallæ. 1747. vol. 4.

(4) Lancelloti institutiones Pauli IV Pontificis jussu adornatae quidem, sed non ab ipso confirmatae sunt. Paulus V, saeculi decimi sexti initio permisit ut aliis fontibus explicationis causa adjungantur. Petri Matthei liber primum lugdunensi, a. 1671 editioni adjunctus est.

(5) Tum in pont. constitutionibus, tum in conciliorum decretis videndum nempè est utrum præsenti fori usu recepta, an contraria consuetudine, aut lege abrogata sint.

(6) Aliæ titulorum decretalium inscriptiones v. g. hæ: de consuetudine; de constitutionibus,

grum sensum exhibent, ut, e. g. haec, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, legem constituunt, utpote cum tota collectione publica auctoritate donatae. Glossam quamvis non legis auctoritatem habeat, eodem tamen certè loco habendam esse constat ac privatorum doctorum in legibus explanandis opinio-nes (1).

Corporis Juris usum (2) quod attinet attendendum semper est an non recentiores quædam existant leges, quæ Jus antiquum mutarunt, aut particularia quædam habeantur in singulis regionibus jura, quibus Jus commune edere debet. Dein cum multa sint in corpore Juris quæ antiquis temporibus statuta sunt, ea nunc adhiberi non possunt, nisi præsentia cum anteriorum temporum ac rerum adjunctis convenient. Scientiæ proindè ope forique usu magna ex parte statuendum est quid tanquam vigenti Ecclesiæ discipline conveniens retineri, aut tanquam obsoletum rejici debeat; quid dein, legum littera relictæ, juxta ipsarum rationem aut limitibus circumscribendum, aut ad alia extendendum sit.

Inter protestantes Lutherus quidem canonicas collections penitus abrogare studuit; at cum in scholis jam receptæ essent, semper tanquam Juris communis fontes consideratæ sunt, licet mox, ob mutatas ex integro circumstantias, limitatæ,

etc. in dubio interpretativam, uti dicunt, ac declarativam auctoritatem habent, v. g. ex eo, quod, can. de monast. de electione, in titulo de electione ponatur, non de postulatione, certè infertur, quod in casu dicti capituli electio, non verò postulatio celebrata fuerit. Hinc vulgo dicitur: rubrum explicare nigrum. Vide de hac re Schmalzgrueber Jus. can. diss. prel. § 7 m. 205 et seq.

(1) Vide de hac re Schmalzgrueber Jus. can. diss. prel. § 7 m. 304.

(2) Cæterum de modo, quo singula loca in corpore Juris laudari solent, pauca adjungenda videntur.

Decretum, uti diximus, divisum est in partes tres, quartum prima continet distinctiones 101, et sua qualibet distinctione plures canones aut capita, quæ ita laudantur, e. g., can. omnes. dist. 1. hoc est, canone (seu capite) qui incipit omnes, quicunque exstat in I. distinctione, vel per numerum canonis ex. gr. can. 2. dist. 1. Pars altera tributa est in causas, quæ sunt numero 36. In unaquaque causa sunt plures questiones, in quibus singulis plura capita aut canones comprehenduntur. In hac parte allegantur priora capitis verba, vel ejus numerus præterea causæ et questiones, e. g. can. 2, caus. 8, quæst. 2; vel c. 2, c. 8, q. 2; vel can. nemo caus. 11, quæst. 3. In hac decreti parte in causa 33; quæst. 3, tractatus exstat de pœnitentia, qui in distinctiones septem divisus est. Cum hujuscem tractatus canones laudantur, ne confundentur cum canonibus primæ partis, qui eodem modo procedunt, additur de pœnitentia; causa et questio nequaquam citantur, v. g. can. quem pœnitit dist. 1, de pœnitent. Denique tertia pars habet tractatum de consecratione, distributum in quinque distinctiones, quarum canones laudantur hoc modo; can. tabernaculum dist. 1, de consecrat; vel can. 1, dist. 1, de consecrat. Additur de consecratione, ut pateat, laudatum canonem ad partem tertiam pertinere. Gregorii IX, decretalium collectio divisa est in libros V; libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent, et capita cum longiora sunt, in paragraphs tribuuntur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capituli, vel numerus, vel utrique simul, hoc modo, ex gr. cap. venerabilem de elect., vel cap. I, de cleric. conj.: vel cap. tua nos. 26, de sponsal. et matrim. Citantur quoque solis numeris: v. g. c. 1 (II, 3), i. e. cap. I, lib. II, tit. 3. Aliqui verbum: extra, aut ejus loco, litteram X, interjici solent hoc modo: cap. 7, extra. de elect. el; cap. I. X de elect.; ut nimurum pateat caput illud extra Gratiani decretum reperiri. Liber sectus a Bonifacio VIII edit. et clementinæ eodem modo ac decretales Gregorii distributa sunt, et cum capita ex iis laudantur additur in sexto, vel Clement. ex. gr. cap. concertationi. de appellat. in VI, et Clement. si furiosi. de religios. domib. Collectio, quæ extravagantes communes continent, in quinque itidem libros distributa est et ejus loca sic laudantur: extrav. rem non novam. de dolo et contumac. inter commun. At verò extravagantes Joannis XXII omnes uno comprehensione sunt libro, atque ita ejus loca indicantur: extrav. cum inter nonnullos. Joan. XXII. de verb. signific.

ac denique in rebus ecclesiasticis, si Angliam exceperis, in omnibus regionibus ipsarum usus extinctus sit.

LXVI. Præter collectiones quæ in corpore Juris comprehenduntur, tum bullæ Rom. Pontificum, quæ pro universa Ecclesia latæ ac ubique receptæ sunt, tum concilii tridentini decreta Jus commune catholicorum constituant. Constat hoc concilium sessionibus XXV, habet una quæque ferè sessio partes duas, quarum prima comprehendit capita et canones, quibus damnantur hereses, et catholicum dogma constituit; altera, quæ inscribitur *de reformatione*, habet decreta, quæ disciplinam respiciunt. Sessio XXIV post canones XII de sacramento matrimonii continet decretum *de reformatione matrimonii*, quod in decem capita tributum est, deinceps capita vigenti et unum decreti de reformatione generatim. Sessio autem XXV præter alia decreta et reformationis capita complectitur decretum de regularibus et monialibus, quod in duo supra viginti capita divisum est.

Visum verò est tridentinis patribus rogare summum Pontificem, *ut*, si in decretis recipiendis difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem aut definitionem postulant, præter alia remedia in hoc concilio instituta, ipse Pontifex romanus "curaret, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis, undè difficultas orta fuerit, iis quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus, pro Dei gloria et Ecclesiæ tranquillitate consulatur."

His patrum studiis obsecuturus Pius IV, statuit in consistit, quæ incipit: *Benedictus Deus*, anno 1564, 7 calend. Febr., ne quis privato arbitrio tridentina decreta interpretaretur; atque ut remotis omnibus difficultatibus facilis executioni mandari possent, cardinalium congregationem instituit. Sixtus verò V, a. 1587, iisdem cardinalibus præter alias facultates eam quoque concessit, ut si quando in his quæ de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis judiciis aliisque hujusmodi statuta sunt, dubium aut difficultas emerserit, ipsius concilii decreta consulto Pontifice interpretari valeant. Ea verum quæ ad dogma pertinent, tantum Pontificis maximi judicio reservantur. Hæc est *cardinalium concilii tridentini interpretum congregatio*, cuius decreta maximam semper auctoritatem, sed et legis vim obtinent, si non pro particulari aliquo casu, sed in genere concilii decreta interpretentur, ac consulto Pontifice editæ, in authentica forma prodierint (1).

LXVII. Ut in diversorum fontium usu rectus servetur ordo et necessaria adhibetur discretio, in quolibet casu animadvertisendum est quod Jus particulare com-

(1) Vide de hac re Fagnanum in cap. quoniam de constitut. in I parte primi decretalium et card. de Luca in annotationibus ad cone. trid. diss. I, n. 17. Schenkl Instit. Juris eccles. ex editione Scheillii, a. 1830, cap. VII.—Schmalzgrueber [diss. Proem. § IX, n. 373, seq.], eam sententiam veriorem dicit, quæ distinguunt declarationes comprehensivas, in quibus sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit; et extensivas, si nempe illam egreditur, et ultra id quod verba propriæ et secundum sensum comunem accepta denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensem, etc., etc. Extensivas legis auctoritatem habere negat, nisi fiant ex speciali mandato Papæ et legitimè promulgantur, cuius modi sunt decreta ejusd. S. congr. jussu Urbani VIII, de alienatione rerum temporalium ad monasteria, etc., pertinentium, 7 sept. 1624, de apostatis regularibus et ejectis, 21 sept. anno eod. de celebratio- ne missarum, 21 jun. 1635, edita. Comprehensivæ verò legis vim habent, dummodo Papa consulto factæ, a card. præfecto et secretario subscripta, et consueto ipsius congregationis sigillo munitæ sint. De aliorum congregationum declarationibus, vide cumdem Schmalzgrueber, l. c. num. 377 et seq.

muai et recentius antiquiori praeponendum sit. Hinc in primis ad particulares cuiusque regionis leges (1), ab vigentem disciplinam forique usum recurendum, atque inter Juris communis fontes concilio tridentino bullisque Pontificum (2) tanquam Juri novissimo deferendum est. Recentior itidem ex mediæ ævi collectionibus alias præcedit, nec ad tempus, quo singula capita edita sunt, attendi debet, cum, in collectionem recepta, eodem omnia quo ipsa publici Juris facta est tempore, statuta credenda sint. Cæterum videndum semper est an locus de quo quæritur revera generalem patiatur extensionem, secus enim temporis ac circumstan-tiarum, in quibus editus est, ratio haberi debet, quod in plurimis ex extravagantibus locum habet. Quod si ejusdem collectionis capita sibi invicem contradicunt, interpretatione conciliari debent, si salva verborum proprietate, et ratione recti sermonis commodè id fieri potest, ac dubia tantum ipsorum pugna est. Si vero certa sit pugna atque ea, ut nulla modo conciliari possint, posterior priori decisioni derogat. Præterea Jus canonicum romano Juri civili ante ferendum est, si sibi invicem contradicunt, quamvis hodiecum in illis quæ ad res ecclesiasticas pertinent, raro admodum de hac inter utrumque pugna sermo instituatur (3).

CAPUT QUINTUM.

DE PRINCIPIIS JURIS ECCLESIASTICI.

Sub titulo prænuntiato disserere volumus de quibusdam maximè necessariis, ut illorum igno natione non obscuritate vel errore mens alumnorum laboret cum plurima utriusque, Juri communia, vel canonici propria sibi dilucidanda proponata. Hæc vero principia respiciunt.

(1) Particulares cuiusque regionis leges ecclesiasticae maximè ex conciliorum decretis eruendas sunt, quæ in collectionibus quæ tum pro conciliis generatim, tum pro diversis regionibus adnotatae sunt. Concilia collegerunt Jacobus Merlinius [Perisiis. a. 1524, II vol. fol.]; Petrus Crabbe [Colon. a. 1583, II vol. fol. et 1551, III vol. fol.]; Laurentius Surius [Coloniæ 1567, V vol. fol., et Venet. 1585, V vol. fol.]; Sever. Binus [Colon. 1606, V vol. fol., et Paris. 1638, IX vol. fol.]; Jacob Sirmondius Romæ 1608, IV vol. fol.); et magna collectio a typographia regia Parisiis in XXXV vol., anno 1644 edita. Comodiores usui sunt sequentes: Sacrosancta concilia exacta a Ph. Labbæo et Gabbr. Cossartio cum duobus apparatusis Par. 1671-72, XVII (XVIII) vol. fol.; Acta conciliorum et epistolæ decretales ac constitutiones rom. pont. (cor. Joh. Hardouin), Par. 1715, XI (XII) vol. fol.; Sacrosancta concilia ad regiam editionem exacta, curante N. Coleti. Ven. 1728-34, XXIII (XXV) vol. fol. et Joh. Dom. Mansi supplementum ad collectionem conciliorum. Luc. 1748-52, VI vol. fol. Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio ed. Joann. Dom. Mansi. Flor. 1759-67, tom. I-XIII; Venet. 1769-98, tom. XIV-XXXI vol. fol. Collectiones pro particularibus regionibus evulgatae sunt sub titulis: Concilia Germaniarum quorum collectionem Joh. Fr. Schannat primum edidit, contin. Jos. Hartzheim, Herm. Schollius, Acg. Neissen, indic. digessit Joss. Hesselmann. Colon. 1749-90, XI vol. fol.—Concilia antiqua Galliarum stud. Jac. Sirmondi. Par. 1629, V vol. fol., eorumdem supplementum, ed. P. de la Lande. Par. 1666. I vol. fol.; concilia novissima Galliae ed. Lud. Odespurn, conciliorum Galliarum tam editorum quam ineditorum collectio stud. congr. S. Maur., tom. I, Par. 1789, vol. fol. (Plura non apparuerunt).—Collectio maxima conciliorum omnium Hispaniarum et novi orbis ed. Jos. Saenz de Aguirre. Rom. 1993, IX vol. fol., cum adnot. Sylvan. Pueyo. Matt. 1781, fol.—Concilia Magnæ Britanniæ et Hiberniarum, ed. Dav. Wilkins, Lond. 1737, IV vol. fol.—Car. Peterffy concilia Ecclesiæ rom. catholicae in regno Hungariae celebrata. Pars I, Vien. 1642 fol., pars II. Poson. 1742, fol.

(2) Pertinet huc Giraldi opus, superius citatum, in quo ad singulos decretalium titulos adnotat ea tridentini concilia capita, aut RR. PP. constitutiones quibus Jus antiquum mutatum est.

(3) Confer de hac re Schmalzgruber Jus can. univ. diss. proempt. § XI.

PROLEGOMENA.

1. Ad religionem et disciplinas sacras generatim spectatas.
2. Ad fundamenta Juris ecclesiastici etiam in genere perspecta.
3. Ad auctoritatem divinam seu ecclesiasticam.
4. Ad traditiones.
5. Ad consuetudines.
6. Ad promulgationem legum ecclesiasticarum.
7. Ad regulas Juris.

De quibus totidem articulis agemus quorum 1. 2. 3. et 4 de Zallinger 5.^o et 7.^o de Lequeux 6.^o de Selvagio desumptos habuimus. ☺

ARTICULUS PRIMUS.

DE RELIGIONE ET DISCIPLINIS SACRIS, QUARUM IN NUMERO EST
JURISPRUDENTIA SACRA.

I.

Sacri canones, quorum principia exponere hoc libello aggredior, nequaquam ut inventa profanae politices, aut tanquam naturalia humanae rationis præscripta spectari debent. Christus enim, qui est sapientia Patris, ministris suis in regenda Ecclesia, se ad futurum usque ad saecula consummationem promisit, ac missum a Patre Spiritum, qui cum ipsis in æternum maneat, eosdemque doceat omnem veritatem. Hinc apostoli in concilio hierosolymitano: "Visum est, inquietant, Spiritui sancto, et nobis" (Act. XV, 28); ac universè legitimis synodis, in quibus aut conditi canones, aut promulgati maximè sunt, Spiritum sanctum adesse, antiquitas christiana censuit eleganterque explicavit Cœlestinus papa I, in epistola 18, an. 431, ad synodum ephesinam data: "Spiritus sancti testatur præsentiam congregatio sacerdotum" (Constant. in epist. rr. pp. col. 1155). Unde ad omnes canones ratione quadam pertinet id, quod de nicenæ scripsit Leo p. I: "Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos esse (1)." Ex divina ergo religione promanat canonum disciplina, et ad divinam religionem tota refertur.

II. Religio, ex qua canonum disciplina manat, sumitur 1. *subjectivæ*, uti in homine tanquam subjecto inest, et nunc denotat *actus* ad Dei cultum, et sempiternam hominis salutem spectantes, nunc *habitum* istiusmodi actus ritè constanterque obeundi. 2. *Objectivæ*, aliarum disciplinarum more; estque complexio veritatum theoreticarum, et regularum practicarum ad cultum Dei et hominum salutem pertinentium. Ejusmodi complexio apto ordine digesta nuncupatur disciplina aut *facultas sacra*, generatim *theologia*. Partes illæ, in quas hodie facultas sacra seu theologia dispescitur, uti variis locis propositæ sunt in divinis Scripturis; ita sine stabili ordine et pro re nata exponebantur a sanctis Ecclesiæ patribus, aliisque scriptoribus ecclesiasticis, in synodis item Episcoporum, aut in constitutionibus romanorum Pontificum. Primorum enim saeculorum patres et scriptores non systematis, et disciplinæ formam, sed instructionem et sanctificationem populi fidelis, atque errorum confutationem spectabant. Enim vero si præclara volumina antiquorum Ecclesiæ doctorum tum græcorum, ceu Athanasii, Gregorii, Na-

(1) Can. 5, XXV, q. 2, ex epist. S. Leonis XIV, c. 2, edit. Ballerini. col. 687